



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

XIX. Argumentvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

num propositum, tamen sciendum est, dari remissionem, non propter dignitatem harum virtutum, sed propter mediatorem. Hæc de-  
claratio su nitur ex Paulo dicente de particula gratis fide propter  
mediatorem.

## XVIII. ARGUMENTUM.

Vita æterna nominatur merces,  
Ergo est debita pro operibus.

RESPONDEO breuissimè. Phrasis nota est, mercedem dici  
non tantum compensationem debitam, sed fructum qui sequitur. De-  
inde verum est, vitam æternam etiam si propter aliud datur, tamen et-  
iam esse mercedem, quia compensat benefacta, ut patrimonium est  
merces officiorum filij, etiam si accipitur propter aliam causam.

Considerandum & hoc est. Sæpe videntur Prophetæ phrasi legis,  
vbi tamen interpretatio ex Euangelio sumenda est. Vt, Reddit vni-  
usq; secundum opera sua, vbi tota conuersio intelligitur, & tamen  
sciendum est, fide primum gratis reconciliationem accipi, postea pla-  
cere Deo fidem & incoactam obædientiam. Et piæ mentes semper so-  
lare decet dictum Iacob: Minor sum cunctis miserationibus tuis.

## XIX. ARGUMENTUM.

Iacobi 2. Videtis igitur, quod ex operibus iustificatur homo,  
non fide tantum.

RESPONDEO. Manifestum est in Iacobo fide tantum intelli-  
guntiam historiæ, de qua noticia dicit: Dæmones credunt & contre-  
munt. Fatemur autem, neminem esse iustum sola illa noticia, sed  
Paulus loquitur de fide, quæ est agnitio & fiducia misericordiæ, quæ  
pacem affert cordibus, ut inquit: Iustificati fide pacem habemus. Et  
discrimen in vera conuersione intelligitur, in qua fides vincit veros  
paiores, & est motus Spiritus sancti, quo corda viuificantur, & accen-  
ditur vera inuocatio, qua clamamus. Abba pater, ut dicitur in Zacha-  
ria: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Non  
igitur pugnat Iacobus cum Paulo, sed de alia re loquitur. De-  
inde cum ait: Ex operibus iustificamur, phrasis intelligenda est.  
Non enim hic iustificari est reconciliari, sed postea habentes bona  
opera iustificantur, id est, approbantur, habentes iusticiam operum,  
quæ in reconciliariis iam placent Deo.

## XX. ARGUMENTUM.

Iustificare est ex iniusto iustum facere,  
Iustus est habens iusticiam, id est, obædientiam integram, seu  
conformitatem cum Deo,  
Ergo non sola fide iustificamur.

RESPONDEO ad Maiorem. Iustificare iuxta doctrinam Euan-  
gelij primum est ex reo non reum facere. Nam hoc agitur in veris  
A 2 dolori-